



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo**

**Heislinger, Anton**

**Monachii, 1745**

Casus XLIX. De Operibus Indulgentiarum in statu gratiæ peragendis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40155**

7  
finiti valoris existat, communis non tantum Rudium, sed etiam Doctorum, & propterea non tantum in quadam imperitia fundatus sensus fidelium comprobatur, qui pro se suisque Sacri-

ficia procurant cum ea obligatione offerri, ut illis solis applicentur: prohibitum etiam est Sacerdotibus duplicatum stipendium pro eadem Missa recipere.



## Casus XLIX.

### *De operibus Indulgentiarum in statu gratiae peragendis.*

8  
**S**ulpitius, ut Indulgentias Menstruas lucretur, ante prandium Confessionem, & sacram Communionem debitorum modo peragit: preces autem praescriptas ad tempus pomeridianum differt: antequam autem illas persolveret, in mortale incidit, nec contritione, nec Confessione deletum: dubitat igitur, utrum lucratus fuerit Indulgentias.

Quaeritur: Utrum ultimum opus ad lucrandas Indulgentias pro anima defuncti debeat in statu gratiae fieri?

### Synopsis,

1. Discrimen inter Indulgentias pro vivis, & pro defunctis exponitur.
2. Juxta aliquos defunctis conceduntur Indulgentiae, quod pro illis aequale pretium Pontifex persolvat.
3. Verosimilius tamen dicitur, Pontificem immediate Indulgentiam vivis concedere.
4. In hac tamen sententia non potest dari ratio, ob quam opus primum eliciendum requiratur.
5. Item plurimae Indulgentiae sunt solis defunctis concessae.
6. Non potest explicari, quomodo prius viventi applicentur.

Y y y 3

7. Juxta

7. Juxta quosdam potest Pontifex elevare opera fidelium ultra condignum.
8. Hoc supposito explicatur modus, quo Indulgentia per modum suffragii defunctis applicetur.
9. In quo apparet, thesaurum Ecclesiae immediatè viventibus applicari.
10. 11. 12. 13. Ex modo hujus applicationis dependet resolutio Quæstio.
14. Ad opera nomine Christi, aut Ecclesiae facta non requiritur status gratiæ ad lucrandas Indulgentias, sed ad facta nomine operantis.
15. Non obest huic opinioni, quòd peccator mereatur de congruo.
16. Explicatur opinio Suarezii circa Indulgentias vivis solis concessas.
17. Tutius, & securius igitur est, suadere talibus statum gratiæ.

### Resolvitur Quæstio.

1 **D**iscrimen inter Indulgentias pro vivis, & pro defunctis concessas inter cætera etiam est illud, quòd remissio pœ-

næ temporalis, quæ est, formaliter ipsa Indulgentia in prioribus applicetur vivis, in posterioribus verò mortuis: Item, quòd mortuis applicentur Indulgentiæ duntaxat indirectè, mediatè, secundariò, ac per modum suffragii in illas translatae, vivis e contra directè, ac immediatè. Ita docet S. Thomas in 4. dist. 45. q. 2. art. 5. *quæstiunculâ unicâ.* Unde inferunt, Indulgentiam à Pontifice posse, ac debere in aliquo casu concedi alicui viventi, per quem postmodum transferatur in defunctum. Ratio autem horum est, quia thesaurus Ecclesiae Pontifici est commissus in bonum suorum subditorum: cum ergo defuncti non amplius sint subditi Pontifici, cujus potestas se tantùm extendit *super terram*, seu super terram inhabitantes, ac viventes, ideo eisdem non potest immediatè, primariò, atque directè communicare thesaurum Ecclesiae, cujus claves tantummodo accipit, ut provideret omnibus suæ pastoralis curæ commissis.

Nunc igitur dubium movetur <sup>2</sup> inter Auctores de modo, quo Pontifex Indulgentiam concedit

dit defunctis. Omissa itaque illorum tanquam minus probabili sententia, qui asserunt, per hoc concedi Indulgentiam defunctis, quod istos à poena temporali non absolvat, uti absolvit fideles adhuc viventes, sed pro illis pretium æquale solvat ex thesauro Ecclesiæ; omissa, inquam, hac sententia.

3 Verosimilius loquuntur asserentes, Pontificem immediatè ac directè subdito viventi communicare Indulgentiam, hac tamen facultate addita, ut hic eam, si voluerit etiam per modum suffragii defunctis donare valeat, prout satisfactiones ex aliis piis operibus à se elicitis transmittere defunctis potest, hac enim via immediatè, ac directè solis ovibus, ac subditis communicat thesaurum.

4 Opponitur tamen huic opinioni primò, quod in ea non possit dari ratio, quare necessariò requiratur semper à Pontifice opus quoddam à vivente primùm eliciendum pro Indulgentia defunctorum. Probat: ut donec Indulgentia alicui vivo, non est necessarium, ut interveniat aliquod opus futurum, sed suf-

ficit præteritum; ergo si Indulgentia defunctis applicanda re ipsa est Indulgentia vivis concessa cum facultate tamen donandi mortuo, non adest ratio, cur necessariò aliquod opus primùm à vivente ponendum eliciatur, sed sufficiet voluntas transferendi in defunctum.

Opponitur secundò: Plurimæ Indulgentiæ sunt solis defunctis concessæ, nullatenus applicabiles viventibus; ergo istæ Indulgentiæ non poterunt universaliter explicari per hoc, quod immediatè concedantur viventibus, ut eas isti vel sibi, vel defunctis applicandi potestatem habeant.

Opponitur tertio. Ad hoc, ut possim Indulgentiam transferre, vel priùs ita debet fieri mea, ut jam habeam jus in illa effectum ipsius possidendo: vel habeo tantummodo jus ad rem, quam transfero in defunctum: si ultimum: ergo Pontifex immediatè concedet Indulgentias defuncto, non autem indirectè, ac mediatè: ergo Pontifex mihi dabit jus cogendi se ad id, ad quod non habet potestatem, ad dispensandum scilicet thesaurum

rum pro non subditis. Si prius afferas: non potero illam amplius transferre. Probatur: si habeo jus in re, Indulgentia facta est mea: ergo habebit in me suum effectum: sed hic effectus est remissio poenae temporalis peccatis meis debita: ergo habebit istam remissionem: atqui remissio semel posita non potest auferri: ergo neque Indulgentia.

7 Allata itaque incommoda, ut evitentur, supponunt aliqui Pontifici competere potestatem elevandi opera fidelium ultra condignum, attribuendo eisdem ex thesauro Ecclesiae virtutem quandam satisfactoriam ex opere operato: non alia ratione, quam qua Christus actioni Baptismali talem virtutem ultra condignum addidit, vel prout Sacerdos imponens poenitentiam Sacramentalem, adjunctum opus ultra condignum elevat; quod etiam in Martyrioprehendimus, est enim istud ex se satisfactorium, & hoc non obstante, ultra condignum à liberalitate gratuita ipsius Dei elevatur.

8 Quòd si autem concedatur semel Pontifici potestatem competere elevandi taliter subdito-

rum opera, poterit is ipse vel omnia, vel tantum nonnulla fidelium opera, eaque vel absolute, vel conditionate duntaxat elevare: hoc autem permissio dici potest, ex eo Indulgentiam per modum suffragii in defunctos transferri, quòd Pontifex certa quaedam opera, viventium ut accepta indivisibiliter ultra condignum elevet, quoad virtutem satisfactoriam, ita ut in fine talium operum hæc virtus satisfactoria ex opere operato detur: non tamen absolute, sed sub hac conditione, si scilicet in defunctos per modum suffragii transferatur illorum virtus satisfactoria quoad excessum ex thesauro Ecclesiae iisdem adjectum.

9 His positis apparet primò, quomodo Thesaurus Ecclesiae immediate, ac directe in bonum subditorum dispensetur: his enim prodest elevari sua opera ultra condignum: ergo si actu ita elevantur, elevatio ista in illorum commodum cedit: quòd autem ab istis applicentur postmodum defunctis est aliquid secundarium, indirectum, ac mere per accidens. 2. dò Quòd hæc concessio per accidens, & secun-

secundario applicabiles in bonum defunctorum non sit contra intentionem Christi patet ex œconomio, qui voluntati absentis sui Domini minimè contrariatur, si uni subditorum ex ærario illius pecunias subministrat, etsi sciat istas externis, quibus eas promisit, applicandas. Potestas etenim talis œconomi ipsum actum secundum se, & pro ut sic in utilitatem subditorum cedit, respicit; cui non officit, quòd in hisce circumstantiis inextranei utilitatem convertatur. 3. tiò. Apparet ratio, ob quam nulla Indulgentia defunctis, nisi interveniente cujusdam viventis opere applicari valeat. 4. tiò. Quòd fructus ille satisfactorius non necessariò primùm fiat meus, mihi que applicetur; sed quòd tantùm in actu primo ad illum jus habeam, in quantum illud opus, cui annexus est ille valor, possum ponere, vel non.

10 Quæ hæcenus attulimus diversa judicia DD. circa Indulgentias defunctis concedi solitas, ideo fusiùs examinare placuit, quia fundamentum sunt unicum, ex quo præsentis controversiæ decisio est petenda;

si enim rationes expendamus, quarum aliquæ suadeant, aliæ autem dissuadeant, requiri statum gratiæ in ponente præscriptum saltem ultimum opus ad Indulgentiam, videbimus eandem ad duo principia reduci: alii enim volunt in lucrante, tanquam principio efficiente operis satisfactorii necessariam esse gratiam, alii autem negant. Dein nonnulli dicunt, ut aliquis lucretur Indulgentiam pro se, necessarium esse, ut ultimum opus ponatur in gratia, quia aliàs ejusmodi homo non esset subjectum capax recipiendæ Indulgentiæ: soli etenim constituto in gratia remissa temporalis poenæ conceditur: ex quo inferunt, lucranti pro mortuis non esse necessarium statum gratiæ, quia non est subjectum, cui applicetur Indulgentia, nec alius quidam favor hunc statum requirens conferatur.

Hinc qui cum Diana *part. 9. I. I* Castropalao *tom. 4. tract. 24. disp. unica. pun. 10. n. 10.* Amico *in cursu Theologico. tom. 8. disp. 20. sect. 8. n. 203.* Bart. *in Bullam cruciatæ. Quintanadvenate, Granada,*

do, Rubeo, Laym, l. 5. *summa tract. 7. n. 7.* Bonac. *disp. 6. q. 1. p. 6. n. 10.* Rodriguez, Gabriel. *in additione ad Lect. 57* Richard. Suarez. *num. 6. disp. 54 sect. 4. de Indulg.* Corduba, & aliis negant ad Indulgentias pro defunctis lucrandas necessarium esse statum gratiæ in volente easdem lucrari, asserunt: gratia non requiritur, ut principium operis injuncti, sed ideo tantum, ut obicem tollat, & subjectum receptivum Indulgentiæ disponat: ergo cum non lucrans, sed defunctus sit subjectum receptivum Indulgentiæ, ideo ille per gratiam non debet disponi. Antecedens, quoad primum membrum probant: licet opus præscriptum neque sit satisfactorium, neque meritorium, est tamen ex se aptum ad consecutionem Indulgentiæ. Atqui tantum requireretur, ut principium operis, si hoc deberet esse satisfactorium, vel meritorium: ergo non requiritur gratia ut principium operis. Probatur maj. opus præscriptum debet esse opus pium, ac bonum, vel ex se conducens ad nutum Dei: sed tale est, licet nec meritorium sit,

nec satisfactorium: ergo. Dein Sacerdos existens in mortali, potest per Sacrificium Alteri obtinere, non verò sibi remissionem pœnæ.

Confirmatur: Opus præscriptum non est causa moralis movens Deum ad Indulgentiam acceptandam, sed mera conditio, qua posita Deus eandem acceptat: ergo ex malitia operantis non inficitur Indulgentia. Probatur conseq. ideo Sacrificium Missæ non inficitur à malitia Sacerdotis, quia ab isto non habet suum valorem: ergo si neque Indulgentia habet, neque ista inficitur, utraque etenim habet suum valorem ex meritis Christi.

Verum rationes istæ, ut ut verosimile reddunt, non requiri gratiam tanquam principium effectivum, nondum tamen ostendunt, quòd illa neutiquam sit necessaria, ut dispositio subjecti, lucrari volentis Indulgentiam pro defuncto: vel enim defendunt applicationem Indulgentiæ per modum suffragii in illo consistere, quòd Pontifex viventi omnium primò concedat Indulgentiam, seu remissionem peccatorum quoad pœnam tem-

poralem, ita tamen, ut illam vel sibi retinere, vel alii defuncto applicare valeat; & in hoc systemate utique ipse debet esse in gratia, prout requiritur in aliis Indulgentiis vivorum, alias enim non posset accipere remissionem poenae propriis suis peccatis debita, vel sequuntur isti Authores sententiam Lugonis, & in isto supposito majorem adhuc difficultatem patientur.

13 Quod, ut clarius elucescat, sciendum, quod Lugo, & Emanuel Sa distinguant inter opera: vel ista fiunt nomine Christi, aut Ecclesiae, ut fiunt Sacrificia, vel nomine operantis: priore modo facta non exigunt statum gratiae in volente lucrari Indulgentias pro defunctis, bene autem, si posteriore, atque hoc ideo: ad hoc, ut vivus lucraretur Indulgentiam pro defuncto, necessarium est juxta prius facta fundamenta, ut illius opus elevetur ad majorem valorem satisfactionis ex opere operato: sed nequit elevari, si operans non sit in gratia: ergo &c. Major constat ex dictis, ubi probatum Indulgentias defunctis concedi solummodo indirectè, in

quantum alicujus viventis opus elevatur, ad majorem valorem satisfactorium: minor autem sic redditur verosimilior opposito: qui non est in gratia, non est capax, ut opus illius elevetur ex thesauro Christi, ac Ecclesiae ad majorem valorem satisfactorium. Probatur: elevatio operum ad majorem valorem est aliquid procedens à potestate Pontificis primario, ac per se ordinatum in utilitatem subditi: sed qui non est in gratia, non est dignus favore primario ab Ecclesia, & Christi Vicario in ipsius utilitatem ordinato: ergo nec est dignus tali elevatione, neque distinguas: qui non est in gratia, non est dignus, ut sua opera elevetur ad majorem valorem satisfactorium applicandum sibi, concedis: applicandum aliis negatur. Contra enim est: licet in istis circumstantiis hoc opus elevetur per accidens ad satisfaciendum pro aliis, per se tamen ex primaria intentione hæc elevatio ad majorem valorem satisfactorium fit in gratiam viventis, ita, ut huic singularis favor per hanc elevationem concedatur: ergo si hic non est capax hu-

jus valoris, illud opus non elevabitur. Atqui non est capax. Probatur: Inimicus capitalissimus Christi, utique non est capax meritorum Christi: sed qui est in peccato, est inimicus Dei: ergo hujus meritorum non est capax.

14 Dices: Etiam opus peccatoris meretur aliquid de congruo, consequenter peccator est dignus aliquo favore: ergo allatum suppositum est falsum. Respondetur: si opus peccatoris ex natura sua est meritum saltem de congruo, tunc per hoc non probatur, quod concedendo præmium correspondens exhibetur tali peccatori singularis quidam favor, eo ipso, quod sit ei de congruo debitum. Cum igitur elevatio operis peccatoris ultra condignum sit quid indebitum, hinc ex allata instantia non probatur peccatorem esse dignum, & capax subjectum cujusdam singularis favoris.

15 Quod denique non requiratur status gratiæ in operibus præscriptis, etiam quando operans vult pro se lucrari Indulgentias, si tunc non statim effectus Indul-

gentiæ subsequatur, probat Suarez *disp. 52. sect. 65. n. 8.*

Secundò. Ob ultimam rationem deberent non solum opus ultimum, sed etiam omnia cætera fieri in gratia, quia etiam elevantur, non sunt meritoria de condigno, bene autem de congruo, quod sufficit. Patet in eleemosyna à peccatore facta.

Indulgentiæ sunt favorabiles, 17 atque ideo latius explicandæ, ad pia opera fideles hac ratione excitantur, licet sint in malo statu. Hactenus Suarezius locò citatò.

Videmus itaque totam difficultatem ad hoc devolvi, utrum peccator sit subjectum capax ad hoc, ut ejusdem opera ex meritis Christi, atque Ecclesiæ thesauro eleventur vel non: si est incapax, prout videtur Lugoni, requireretur status gratiæ: si nihilominus est capax, erit iste minimè necessarius, quod ipsum cum aliquibus videatur non immeritò dubium & controversum, securiùs itaque, & consultiùs erit suadere, ut ultimum opus in gratia constituti peragant, qui lucrandis mensuris succurrere animabus defunctis intendunt.

Ca-